

quæ fraudata est à vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiit.

VERS. 4. — NON EST NOBIS SUPER ARGENTO ET AURO QUESTIO, SED CONTRA SAUL ET CONTRA DOMINUM EIUS. Magnoperè commotos et exulceratos fuisse oportet Gabaonitas propter acceptam injuriam à Saule, quando neque leniri dolor, neque sedari furor potuit argento atque auro, neque ullà alià re earum, quæ numerantur in bonis, sed filiorum Saülis expetitur sanguis, et ad illorum cædem aspiratur. Hoc eodem orationis genere explicatur Medorum furor ab Isaia cap. 13, v. 17, contra Babylonios: *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non querant, nec aurum velint; sed sagittis parvulos interficient, et lactentibus uteri non miserebuntur.* Quod etiam orationis genus ad explicandum hominum furorem, et inflammatum odium adhibent profani. Sic Claudianus de bello Getico: *Invisum miles cupiens haurire cruorem, Per varias vestes onerataque plastra metallo Transit, et argenti cumulos et cædis avarus Contemptas proculcat opes; pretiosior auro Sanguis erat, passim neglecti prodiga lucri Ira furens strictis odium mucronibus explet.* Et non longè post idem:

*Raptaque flagranti spirantia signa Corintho Callidus ante pedes ventientibus objicit hostis Incassum. Neque enim feralis præda moratur, Sed justos præbent stimulos monimenta doloris.* Hoc idem de zelo legimus Proverb. capite 6, vers. 34. Est autem zelus, de quo ibi, furor quidam ex injuriâ violati thalami conceptus, appetensque vindictæ: qualis erat hic Gabaonitarum dolens et instimulatus furor. *Zelus et furor viri non parcat in die vindictæ, neque acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* (1)

(1) VERS. 5. — VIRUM (Saulem) QUI ATTRIVIT NOS ET OPPRESSIT INIQUE, ITA DELERE DEBEMUS, UT NE UNUS QUIDEM RESIDUUS SIT DE STIRPE EIUS. Novem supererant è stirpe Saülis, scilicet Miphiboseth ejusque filius, quinque filii Michol ex Hadriele, et duo filii Saül ex Resphâ concubina. Hos omnes sibi ad necem dedi initio postularunt Gabaonitæ; sed videntes Davidem intercedere pro Miphiboseth ejusque filio, utpote prognato ex Jonathâ, cui David amicitiam et fidem juraverat, idcirco utrique pepererunt, et reliquos septem ad crucem postularunt.

Quæres, an aqua et justa fuerit hæc eorum postulatio? — Resp. partim fuisse justam eò quod nonnulli ex posteris Saülis cooperati fuissent ei in cæde Gabaonitarum; hoc enim significatur v. 1, ubi familia Saülis vocatur *domus sanguinum*; partim iniquam, quia verisimile est aliquos ex posteris Saülis fuisse à

VERS. 6. — DENTUR NOBIS SEPTEM VIRI DE FILIIS EIUS. Mirum est quòd qui proximè dixerant non sibi iri satisfactum, nisi tota Saülis deleteretur posteritas, nunc tantum de illâ ob-

cæde Gabaonitarum immunes et innocentes, qui proinde pro peccato patris vel cognatorum, jure humano non poterant occidi. Nam, ut ait Ezechiel cap. 18: *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Nullus enim princeps vel rex potest filium condemnare ad mortem propter peccatum patris solius, unde in nullo fidelium tribunali filius pro patre occiditur. Dico, *fidelium*, nam apud infideles et barbaros, uti apud Japones, patre peccante non solum ipse, sed et filii ejus plectuntur. Quare postulatio hæc Gabaonitarum aliquid habet rancoris, vindictæ et furoris insolentis, barbari et Turcici; nisi dicas ipsos non ex se, sed ex Dei instinctu, id postulasse, idque innuitur vers. 9, cum dicitur: *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino*, et vers. 6, ubi ipsi aiunt: *Ut crucifigamus eos Domino*; Septuag.: *Et placabimus in illis Dominum*; Chald.: *Et suspendemus illos ante Dominum*, quasi anathemata, catharmata, et piacula Israelis. Nam ex parte Dei justa et sancta fuit hæc postulatio. Deus enim idcirco famem hanc immiserat Israeli, ut pro peccati Saülis piaculo occiderentur ejusdem posteri, cum ipse Saül jam utpote mortuus plecti et occidi non posset. Deus enim omnium tam nocentum quam innocentum vitæ et mortis est Dominus; quare potest patres nocentes punire in filiis innocentibus, juxta illud Deut. 5, 9: *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator Septuag., zelotes reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem.* Vide ibi dicta. Deus ergo volebat hic plectere Saulem in filiis multis de causis. Prima est, ut ostenderet quantum sibi displiceret oppressio pauperum Gabaonitarum facta à Saule, et violatio juramenti eis à Josue præstiti; ostenderet, inquam, per publicum et infame supplicium posterorum Saülis, nimirum eos crucifigendo. Secunda, ut indicaret quam profundum in Saulem odium concepisset, utpote cujus stirpem funditus vellet excindi, ut jure dixerit Miphiboseth: *Neque enim fuit domus patris mei nisi morti obnoxia Domino Deo.* Tertia, ut daret exemplum futuris seculis, quo patres à sui offensâ et sceleribus cohiberet; q. d.: *Quod feci Saül hosti meo, ejus familiam excindendo, hoc faciam cuilibet regi, principi et privato, ut, si ipse me offendat, non solum ipsum, sed ejus filios posterosque omnes affligam et disperdam: uti hoc seculo sæpè factum vidimus, Deum scilicet ob peccata parentum antiquissimas et nobilissimas familias planè evertisse et succidisse.* Quarta, ut consuleret quieti publicæ, ne inter Saülis et Davidis posteros bella civilia suscitarentur, quæ fuerant inter Davidem et Isboseth filium Saülis. Denique filiis innocentibus non fiebat injuria, tum quia Deus vitæ eorum erat dominus, tum quia ob peccatum originale omnes sumus rei mortis; tum quia ipsi alia propriâ habebant peccata, ob quæ justè morte et cruce puniri à Deo poterant; hanc enim apud ipsum merebantur. (Corn. à Lap.)

stinatione, furoreque remittant, ut satis habere se dicant, si septem tantum capitibus de Saülis stirpe res agatur. Ego hic primum naturam agnosco exulcerati atque furentis animi, qui primos habet impetus acres, et ad omnia projectos, quantumcumque à ratione atque consilio procul abhorrentia. Ubi autem primus ille compressus est, et sedatus impetus, saniora cogitat, et illa moderatur et corrigit, in quæ præceps consilium et effervescens furor prius eruperat. Quare qui ad totius familiæ cædem nuper aspirabant, iidem ardore nonnihil refrigerante, septem tantum capitibus contenti, nil præterea requirunt. Rabbini tam de hoc numero quam de inflammato Gabaonitarum furore multa dicunt, sed suo more sine fundamento, quæ tu vide apud Abulensem q. 20 et 21. Abulensis q. 21, aliam adducit causam; putat enim ex totâ Saülis posteritate novem tantum fuisse superstites, ex quibus duobus Miphiboseth et Michæ pepererunt propter Davidem, aut quia ita David petierat; aut quia cum scirent Miphiboseth et Micham, illius filium, gratos esse Davidi, hoc Davidis voluntati ac voto concesserunt, ut à communi cæde duos illos exciperent.

UT CRUCIFIGAMUS EOS DOMINO IN GABAA SAUL (1). Plurimum ad gloriam et ignominiam facit locus, in quo quis auctore honoratur et gloria, aut supplicio afficitur, et ignominia. Miserum autem putatur et ignominiosum, magis ibi aliquem pati, ubi prius cum magistratu et splendore vixerat. Quomodo Aman non tam miserè

(1) QUONDAM ELECTI DOMINI. Urbem Gabaam selegenerunt, ut insignior esset ignominia familiæ Saülis, qui olim ibi regnaverat. Pro iis verbis: *Quondam electi Domini*, vertunt quidam Hebræum: *O David, electe Domini*. Suspiciantur alii corruptionem in textu, corriguntque: *In monte Domini*. In v. 9, ubi narratur expleta ea, quæ hic postulantur, actos illos in crucem legimus, *in monte coram Domino*. Abs re utique videtur, Gabaonitas in hæc re insignire voluisse Saulem nomine *electi Domini*. In textu non legitur illud, *quondam*, sed tantum, *Saül electi Domini*, quod corrupti textus conjecturam fulcit.

ET AIT REX: EGO DABO. Consulit utique David iterum Dominum per prophetas, sive per summum sacerdotem, utrum postulatis Gabaonitarum annuere deberet: vel fortè jam inde à primâ oraculi consultatione justus fuerat vota illorum omnia explere. Si enim Domino inconsulto fecisset, quanto se exposuisset discrimini? Nonne apud universum Israel em invidiam incurrisset, quasi specioso eo nomine totam simul perdere Saülis familiam moliretur? Merus igitur divinarum jussionum administrator hic David habendus est.

(Calmet.)

pateretur, et turpiter, si alio quovis loco pateretur, et non domi suæ, et ex alio quovis ligno, quam quod Mardocheo prius excitaverat, foret suspensus. Regnarat Saül in Israel, sed habitabat sæpius in Gabaa, utpote natali solo: eum locum delegerant Gabaonitæ suspendio filiorum Saülis, ut quod gloriosi temporis et splendoris regii fuerat, idem suspendii, id est, infensæ, atque execrandæ mortis fieret theatrum. Maledictum porrò esse illum, qui actus esset in crucem, probat illud Deut. 21, quod ad Galat. 3, adducit Apostolus: *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.*

VERS. 7. — PEPERITQUE REX MIPHIBOSETH. Pepercisse rex dicitur huic Jonathæ filio, propter pactum initum ante cum Jonathâ, de quo lib. 1, cap. 20, seu quia cum Gabaonitæ septem tantum petierint, illum eximit è septenario numero; seu quia suis precibus, aut auctoritate obtinuit à Gabaonitis, ne supra septem, qui in crucem acti sunt, alium è Saülis domo ad crucem exposcerent. Ille autem pepercisse alteri dicitur, qui, ut alii parcerent, impetravit, sicut is pepercisse existimatur illa, quæ ut fierent, imperio, seu auctoritate perfecit.

VERS. 8. — TULIT ITAQUE REX DUOS FILIOS RESPHÆ. Hæc fuit Saülis concubina, ad quam supra cap. 3, ingressus esse dicitur Abner, quæ causa fuit ut Abner ab Isboseth, cujus partibus faverat, ad Davidem deficeret, et decem tribus ad illum ultrò traduceret.

ET QUINQUE FILIOS MICHOL, etc. Quidam Michol ex alio viro concepisse putant quinque hos filios; nam post Davidis fugam à Saülis consuetudine, seu potius insidiosio congressu, hic abductam à Davide filiam alii viro locavit. Lib. 1, cap. 25: *Saül dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais.* Sed est communis, veraque sententia, quinque illos filios non esse Michol, sed sororis illius Merob. Quod ex eo facile constat, quia hic horum pater expressè nominatur Hadriel filius Bercellai, qui fuit de Molethi, cui nupsit non Michol, sed soror ejus Merob, lib. 1, cap. 18, v. 19. Dicitur autem hi filii Michol, quia Merob aut jam decesserat, aut à priori fortunâ ceciderat; et ideò soror orbatos à matre filios, seu à rebus destitutos necessariis sibi adoptavit. Ejusmodi autem adoptati filii, parentibus etiam vivis, eorum esse dicuntur, in quorum familiam, et tutelam venerunt. Quo modo Genes. 48, v. 5, Jacob sic adoptavit duos filios Joseph, ut suos sibi diceret filios, Josephi negaret: *Duo, in-*

quit, *fili tui, qui nati tibi sunt in terrâ Egypti, antequam huc venire ad te, mei erunt, Ephraim et Manasses sicut Ruben, et Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem, quos genuerit post eos, tui erunt.* Cajetanus hunc locum corruptum esse putat, et pro Merob suppositam esse Michol. Sed non est cur irrepsisse vitium existimemus, quando omnes omninò consentiunt codices. Neque Cajetani ratio admodum urget, quia hic non tantum dicuntur filii Michol, sed etiam ab illâ geniti. *Quos genuerat, inquit, Hadrieli.* Nam ut filii dicuntur Michol, figuratâ locutione, ubi subauditur similitudinis forma, *sicut, quasi*, ut alibi millies, quia filii non erant, sed quasi filii, amore, et curâ; sic etiam ab illâ eadem figurâ, vocari possunt geniti, id est, quasi geniti, quia non aliter ab illâ suscepti sunt atque tractati, quam si ab illâ concepti forent, et in lucem editi. Abulensis q. 29, illud, *genuit*, ad Merob putat esse referendum; quod item facit Glossa ordinaria, et Historia scholastica. Sed sanè, ut dixi, necessarium non est.

VERS. 9. — QUI CRUCIFIXERUNT EOS IN MONTE CORAM DOMINO. Paulò antea crucifigendi dicuntur in Gabaa, nunc autem in monte. Utrumque autem est verum, nam mons ille erat prope Gabaa, et ex usu Scripturæ id in aliquo loco fieri dicitur, quod in loco illi proximo fit. Quomodò Joan. cap. 1, baptizasse dicitur in Bethaniâ, cum tamen in ipsâ urbe non baptizaret, sed proximè. Et Lucæ cap. 15, cum Christus de suâ morte ageret, inquit: *Non capit prophetam perire extra Jerusalem*, cum tamen extra passus fuerit, ut observavit Paulus ad Hebr. 15. Sic etiam nunc in Gabaa dicuntur cruci affigi, qui in monte civitati proximo suspensi sunt.

INCIPIENTE MESSIONE HORDEI. Satis est notum actionem aliquam celebrem et notam usurpari solitam pro tempore ac loco, ubi communiter, et quasi legitime fit. Sic *oratio*, seu *προσευχη* pro templo ponitur, quia ille est destinatus orationi locus. Sic *Ecclesia* dicitur, quia in eâ fiunt hominum conventus. Neque minùs id frequens in temporis notatione, quia vindemia in autumno fit, *vindemia* idem interdum valet quòd autumnus. Sic *messis hordeacea*, pro eo tempore, quod prope abest ab æquinoctio vernali; et triticea à vernali solstitio. Sic *gallicinium*, *conticinium*, *prima fax*, *aura* post meridiem, *sacrificium matutinum*, aut *vesperinum*, certa indicant temporum spatia. Quare dum crucifixi dicuntur Saülis filii incipiente

missione hordei, nihil significatur aliud, quam suspendium incidisse in azymorum tempus, aut vernale æquinoctium.

VERS. 10. — TOLLENS AUTEM RESPHA FILIA AIA CILICIVM, SUBSTRAVIT SIBI SUPRA PETRAM, AB INITIO MESSIS, DONEC STILLARET AQUA (1). Quantum temporis maternas illas, et assiduas excubias egerit Respha, ex Scripturâ non constat, quia neque certò cognoscitur, quo tempore stillare cœperit pluvia cœlestis. Ad illud namque tempus suspensa fuere cadavera, quæ celos aperirent ad pluviam, quos Saülis infidelis acerbitas obstruxerat. De quibus ita Theodoretus, quæst. 34: « Sumpto de eis supplicio placatus fuit Dominus, et effecit ut nubes parturientes parerent, et iussit terræ, ut

(1) Mysticè, Respha est pia sollicitudo sanctorum pastorum et patrum spiritualium, qui filios, quos Christo genuerunt, mundo crucifixos custodiunt, eisque succurrunt rigore jejuniæ instantiâ precum, donec misericordiam Dei impetrent super eos de cœlo, compescendo pravos homines, necnon malignos spiritus, ne pravis suggestionibus eos de cruce rapiant, lacerent et devorent. Ita Angelom. Hinc Respha Hebr. idem est quòd *pruna*, vel *carbo ignitus*, qui ardentis amoris est symbolum: aut *parturientum* in quo ipsa se affligens pro filii cilio incubabat.

(Corn. à Lap.)

*Respha demeure sur une pierre depuis le commencement de la moisson jusqu'à ce que l'eau du ciel tombât sur ses enfants (que l'on avait crucifiés), et elle empêche les oiseaux de déchirer leurs corps pendant le jour, et les bêtes de la manger pendant la nuit.* Respha est un grand exemple de l'amour des mères. Après que ses enfants ont été crucifiés, son affection pour eux est toujours la même. Elle a pour leurs corps, qui ne sont plus que les restes sanglants d'une mort honteuse, la même tendresse qu'elle a toujours eue pour leurs personnes.

Que les mères chrétiennes imitent au moins cette mère Juive. Qu'elles fassent pour les vivants ce que celle-ci fait pour les morts. Qu'elles veillent et la nuit et le jour, pour conserver le trésor que Dieu a mis dans l'âme de leurs enfants. Qu'en attendant que Dieu répande sur eux la rosée de sa grâce, et qu'il les fortifie par un accroissement de lumière et par la présence de son Esprit, elles empêchent que les oiseaux, c'est-à-dire, que la vanité et l'ambition du monde ne les déchirent pendant le jour, et que les bêtes de la terre, c'est-à-dire que les passions basses et terrestres ne les dévorent pendant cette nuit ténébreuse que répand dans les esprits le dérèglement du siècle. Si elles ont autant de soin et d'affection que cette femme, elles seront sans comparaison plus heureuses qu'elle. Car elle n'a veillé que sur ceux qui n'étaient plus, et sa vigilance n'a pu leur rendre la vie; mais celles-ci conserveront par leurs soins dans leurs enfants la vie de grâce que Dieu y a mise, et elles se sauveront elles-mêmes, selon la parole de saint Paul, en contribuant au salut de ces personnes qui leur sont si chères. (Sacy.)

more solito produceret fructus. » Quidam ex Rabbiniis, et Historia scholastica putant non fuisse corpora de cruce deposita ad calendas usque septembris, quia eo tempore defluit imber, nempe serotinus, qui terram humectat et disponit ad satus. Si hoc posterius esset verum, neque alio tempore pluvia decideret cœlestis, non esset conjectura admodum infirma, juxta ea, quæ modò diximus: ponitur enim certa, atque familiaris nota pro tempore, in quo solet plerumque contingere. Sed quia Saülis peccatum prohibebat pluviam, credibile est, postquam primùm filiorum morte expiatum est, non diù post datam esse pluviam antea negatam. Neque necesse fuisse Resphæ ad calendas usque septembris custodire corpora à belluarum, volucrumque lanienâ, cum post sex menses nihil esset in ligno reliquum, quod sylvestres feræ, et volucres expeterent.

Amplificat hic Abulensis quæst. 30, tum incredibilem Resphæ amorem in suos, tum in laboribus perferendis supra muliebrem modum, naturamque constantiam. Sed sanè charitas potens est, et qui amat, nihil non audet, nihil non devorat, quantumcumque durum, et amarum. Jacebat concubina regis, in deliciis antea, et in mollibus stratis enutrita, supra petram, quam cilicio instraverat, id est, vili atque duro stragulo, neque ibi quietos habuit, atque securos somnos, cum necesse foret nocte feras, et die involantes volucres abigere. Quod ut præstare commodius posset, necesse erat, ut non procul absisteret, alioqui quem haberent usum assidue illæ, vigilesque custodiae? At ex septem corporibus, sanie, taboque fluentibus sole sub ardenti, non poterant non habere gravissimos anhelitus, quos perferre delicatæ feminæ ac regium in modum educatæ, quantus labor? Deinde aggredi belluas, illasque à prædâ famescentes arcere, non femineæ est, sed masculæ virtutis. Sed sanè verum est inseri ab amore audaces et intrepidus animos, qui facit, ne feminæ leonum horreat fremitus, et occursum, de quibus dixit quidam de feminâ, quam amor abduxerat in sylvas, et denique adegit ad mortem: *Audacem faciebat amor.* De hac amoris audaciâ plura nos ad illud Cantic. 5: *Invenerunt me custodes.*

Sed quærat hic aliquis, cur nihil ejusmodi factum esse dicitur à Michol, cujus eodem tempore è cruce quinque pendebant filii. Ratio est non difficilis; aut enim hoc tempore jam decesserat, et hoc mihi verisimilius, alioqui

illa pro filiorum suorum salute, et pro regiâ auctoritate certaret. Neque parùm posset apud Davidem conjugem, qui quicquid fortasse vellet, à Gabaonitis impetraret, aut donis, aut gratiâ. Aut quia illi adoptati erant, non nati filii, non ita aliena, atque cognata, quam si materna forent viscera, torquebantur. Neque etiamsi cuperet exemplo Resphæ ad lignum excubare, pateretur David, cum è suâ dignitate non putaret regiâ conjugem in publico, ac subdiali loco et videri interdum, et pernoscere noctu.

ET NON DIMISIT AVES LACERARE EOS PER DIEM, NEQUE BESTIAS PER NOCTEM. Locutus est historicus sacer juxta rerum naturam, neque enim volucres noctu suas agitant prædas, aut feræ interdum. De quibus Psal. 3: *Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsâ pertransibunt omnes bestie sylvæ; catuli leonum rugientes, ut rapiant, et querant à Deo escam sibi. Ortus est sol, et congregati sunt.* Ex hoc loco fuit probabile, licet aliquando præaltæ fuerint erectæ cruces, ut patet in eâ, quam ad Mardochei suspendium excitavit Aman, non tamen illud esse perpetuum, tunc præsertim, quando multi simul agebantur in crucem, ubi molestæ esset et difficilis operæ præaltas fabricare, et in illas agere multitudinem. Quomodò enim cadavera laniarent feræ, puta canes, et lupi, nisi proxima terræ cadavera penderent? Ita putat Lipsius, lib. 2 de Cruce cap. 15. Sed quod ibi adduxit exemplum, si auctorem consulas, unde ipse sumpsit, parùm est ad rem. Minùs abs re videtur, quod in Amphitheatro epigr. 7, Martialis adducit de Laureolo, quem, cum esset in cruce, lacerarunt feræ.

*Qualiter in Scythiâ religatus rupe Prometheus Assiduam nudo pectore pavit avem.*

*Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso*

*Non falsâ pendens in cruce Laureolus.*

Sanè in cruce lacerari solitos esse Martyres, ex sacris Annalibus constat. Eusebius lib. 5, c. 1, Blandinam affixam cruci incumbentium ferarum escam et prædam factam esse dicit. Certum est apud gentes in cruce damnatorum corpora relinqui; unde apud illos frequens, in cruce pascere vultures, aut corvos. Horatius lib. 1, epist. 16:

*Non pasces in cruce corvos.*

Juvenalis Satyr.:

*Vultur, jumento et canibus crucibusque relictis,*

*Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.*

Putrescere autem in cruce membra, et sole pluviiâque tabescere, docuit exemplo Polyera-

us Valerius lib. 6, cap. 9; et Tertullianus de Animâ. « Polycrati, inquit, Samio filia cruceem « prospicit de solis unguine et lavaero Jovis. » Hoc ipsum probat custodia cruci affixis apposita, ne quis inde reorum corpora sublata sepultura mandaret, ut de Cleomene tradit in ejus Vitâ Plutarchus. At apud Hebræos alia ratio est, quibus à Deo Deuter. c. 21, præcipitur, ut eadem die damnatorum corpora tollantur è cruce. Neque ab hac lege excipiebantur aut qui sibi ipsi violentas attulissent manus, quod non fecere gentiles, neque hostes, si quando tollerentur in cruce. Ita Josephus, lib. 3 de Bello, cap. 14. « Si qui, inquit, « se occiderint apud nos, usque ad solis occasum insepultos abjici decretum est, cum « etiam hostes sepeliri fas esse ducamus. » Quod fecit Josue cap. 8, cum rege Hai; et cap. 10, cum quinque regibus quos cum egisset in patibulum, ad vesperam deposuit.

Sed dices: Si Judæi eodem die deponuntur à cruce, cur necesse fuit à Pilato facultatem pati, ut Christus deponeretur è cruce, quando aliter salvâ lege fieri non poterat? Respondeo non à Judæis Christum, sed à gentilibus fuisse crucifixum, qui Judæorum non servabant leges, sed patrias, quæ crucifixos diu in cruce relinquebant.

Quare explorandum, cur Hebræorum corpora tamdiu contra consuetudinem illorum, et legem, ex infelici, atque execrabili arbore penderint. Alii aliter, et variè. Rabbini, ut solent, sine fundamento dicunt id factum inconsulto, imò et inscio Davide. Quod quidem verisimile non est, cum Gabaa non procul esset à Hierosolymâ, et res esset ejusmodi propter crucifixorum numerum, et genus illustre, ut latere non posset. Abulensis q. 51, ideò putat Davidi placuisse, ut suspensa corpora manerent in cruce, donec imber demitteretur è caelo, ut eo signo sibi omnes persuaderent Deum esse placatum illo filiorum Saülis aspectu miserando, cum jam aspectabile offensionis signum non apparet, nempe agrorum sitis à longo pluviarum defectu. Addit tamen Abulensis ibi in eâ morâ aliquid intervenisse mysterii, quo videlicet minus aetum videretur contra morem, et legem; quod tamen illud sit, non dicit. Lyra existimat id à Deo mandatam esse per Natham, ne Judæorum ritu suspensa cadavera tollerentur è cruce. Cujus ille finis esse potuit, ut omnes eo cognoscerent exemplo, quam Deo esset invisum scelus juratè prius, et deinde à posteris violatè

fidei. Quòd si Deus, qui legum est lator, contra latam à se legem aliquid præcipiat, sicut ille in præcipiendo est à peccato liber, sic etiam in obsequendo David, et quos ille habuit illius expiatoriæ crucis ministros.

Utraque mihi tam Abulensis, quam Lyra conjectura non displicet. Sed quia illius aut nullum est, aut non nisi leve fundamentum, eâ saltem ex causâ aliquantum laborat. Ego duo hic video, quæ Davidem, reliquosque ex Hebræorum genere à violatæ legis scelere tuerentur. Alterum est, quia lex ipsa, ut patet, non de omnibus loquitur, qui aguntur in cruce, sed de illis tantum, qui peccatum admiserunt, non contraxerunt ab aliis, propter quod digni sunt, qui suspendantur è cruce. Hi jubentur è ligno deponi, ne contaminent terram; de aliis, qui alienâ tantum culpâ plectuntur, non loquitur lex. Audi legis verba Deut. 21, v. 22: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est; et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus est, qui pendet in ligno, et nequaquam contaminabis terram tuam.* Quòd optimè paraphrasticè in eum locum exposuit Chaldæus: « Quando autem fuerit in viro peccatum iudicii decisionis, et occisus fuerit, et suspenderit eum in patibulo, non manebit cadaver ejus in patibulo, sed sepelietur eum in die illâ, quia pro eo, quòd peccavit coram Domino, suspensus est. » Hanc ego arbitror causam non alienam. Quare juxta hanc legem posset Christus eodem die à cruce non deponi, etiamsi à Judæis foret in cruce actus, quia nihil admiserat, cur crucifigi debuerit. Nisi quia eo nomine cruce subierat, quia eo supplicio dignus putabatur.

Aliam hic ego non magis ab instituto alienam invenio, quia iudicium istud non tam David Hebræus, quam Gabaonitæ exercere gentiles; qui lege, et consuetudine Hebræorum non tenebantur: nam illis rex videtur totam permisisse causam, ut de illâ suo arbitratu statuerent, et quam vellent de illis viris septem poenam, et poenæ modum exigerent. Sic enim ipsi petierunt, cum dixerunt v. 6: *Detur nobis septem filii de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa.* Et statim v. 9: *Et dedit eos in manus Gabaonitarum.* Actum itaque est non ritu Israelitico, sed Gabaonitico, quando res tota Gabaonitarum iudicio, ac voluntati permissa est, qui diu in patibulo voluerunt esse suspensos. Quo modo quia Chris-

tus ut paulò ante diximus, et latrones duo, qui cum illo crucifixi sunt, non à Judæo iudice, sed à Romano, id est, à Pilato damnati sunt, non essent juxta Judæorum legem è cruce depositi, nisi id Judæi, et Josephus ab Arimathia precibus impetrassent. Illi eam adduxerunt rationem, quia magnus erat dies illi sabbati, omnium videlicet sabbatorum et primus, et maximus. Joan. 19, v. 31: *Judæi ergo quoniam parasceve erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati* rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Et speciatim de Christo v. 38: *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, ut tolleret corpus Jesu; et permisit Pilatus.* Non itaque aliter essent illo die depositi, etiamsi graviter esset de illâ depositione cautum à lege. Sic ergo ad Gabaonitarum imperium diu in cruce cadavera, et deinde non tam Davidis imperio, quam precibus fuerunt è patibulo sublata. Cur verò tamdiu in patibulo, atque sublimi in loco Gabaonitæ voluerint pendere cadavera, ea videtur esse causa, quia cum viderent Israelitis se esse subjectos, timebant gravia ab illis, et quotidiana subituros se incommoda, eo maxime tempore, cum summa apud unum esset potestas, mutatâ pristinâ gubernandi ratione. Ut ergo probarent ipsorum Deum suscepisse causam, et illatas à rege injurias vindicasse, et eo modo aliorum regum manus arcerent ab injuriâ, publicum illud documentum esse voluerunt.

VERS. 11. — ET NUNTIATA SUNT DAVID, QUÆ Fecerat Respha. Hæc ad versum usque 15, aperta sunt; tantum enim habemus Davidem, postquam demissâ pluvîa Deum placatum esse novit, annuentibus nempe, et concedentibus Gabaonitis, sustulisse de cruce quod reliquum erat è cadaveribus regis, et illud quicquid erat, cum ossibus Saülis, et Jonathæ, et aliorum ex illo genere, qui in montibus Gelboe jam ante ceciderant, in paternum sepulcrum intulisse. (1)

(1) VERS. 12. — ET ABIIT DAVID, ET TULIT OSSA SAUL. David excitatus exemplo pietatis Resphæ, quæ tam sedulo corpora suorum filiorum custodivit, curavit eorum æquè ac Saülis et Jonathæ ossa colligi, et honorificè sepeliri in sepulcro Cis patris ejus, ut ostenderet se injuriarum sibi à Saüle illatarum esse immemorem, ac illi pro tantis maleficiis eximia beneficia rependere, qui est actus heroicæ charitatis. (Corn. à Lap.)

VERS. 14. — IN LATERE, IN SEPULCRO CIS. In eadem speluncâ, sed distincto loculo, et ad latus. Vel potius: Ad latus montis Gabaa, in

VERS. 15. — FACTUM EST AUTEM RÛRSUM PRÆLIUM PHILISTINORUM ADVERSUM ISRAEL. Numerantur hic prælia quatuor, quæ contra Philistæos inierunt Hebræi. In quibus illud est obsecrum, quia nequè constat ex Scripturâ, quæ horum præliorum occasio fuerit, et quo tempore, aut ordine suscepta, nisi confusè admodum, et obscurè. Quidam hæc prælia longè ante hæc tempora suscepta fuisse, et hic tantum enumerationem esse putant, et quasi gestorum contra Philistinos epilogum, eâ ratione persuasi, quia hic referrî vident prælium, quod omnium primum gessit David, cum adhuc esset adolescens, et in quo Israelè toto gloriosum sibi peperit nomen. Dicitur enim tertio bello superatum esse Goliath; et ne quis putaret alium esse superiori cognominem, alium nimirum Goliath ab illo superiori diversum, illæ adhibentur notæ, quæ eum ab aliis ejusdem nominis facillè distinguunt. Dicitur enim Gethæus, et illius hasta, quasi liciatorium textentium, quæ omnia habes lib. 1, c. 17, v. 4 et 7. Et facit ad hæc, quòd quatuor isti gigantes filii Arapha v. 22, interfecti narrantur à Davide, et ab illius servis: at nisi dicamus illum Goliath occisum à Davide, nullus apparebit alius, qui occisus ab illo videri possit. Adde quòd Par. lib. 1, c. 20, tria tantum bella gesta traduntur à Davide sub hæc tempora. Quare illud de Goliath ad tempus aliud videtur esse referendum. Abulensis q. 35, 36 et 37, nullum putat hic ordinem videri, aut rerum à Davide gestarum consequentiam; sed numerari hoc loco bella longè ante confecta, neque in illis esse aliquem ordinem, cum illud bellum, quòd tertium esse dicitur, longè ante alia omnia peractum sit: nam primum susceptum est à Davide senè, post quòd aciem suorum rogatu non vidit amplius; tertium verò tunc gessit, cum primum assumptus è gregibus rem bellicam adolescens mediari cepit. Quòd verò hic Goliath idem sit, qui lib. 1, peremptus fuisse traditur à Davide, communis est omnium fermè interpretum opinio. Ita tenent Lyra, Dionysius, Hugo, Angelomus, Glossa, qui omnes videntur ex Hieronymo sumpsisse, qui in Traditionibus Hebræicis hanc fuisse indicat Hebræorum sententiam.

uno montis illius specu, ubi avorum Saülis sepulcra constituta erant. Suspicantur quidam, Hebræum *selah*, quòd hic redditur, *in latere*, certum loci hujus nomen designare. Occurrit profectò urbs Sela inter Benjamiticæ, quæ certè procul removenda non est à Gabaa, patriâ ac sedè Cis et Saülis. (Calmet.)